

60. 14

DISSERTATIO ACADEMICA

DE

JUSTO FENNORUM

IN

P A T R I A M

A M O R E,

QUAM

CONSENSU *Amplissimi* SENATUS *Philos. in Reg. Academia*
Aboënsi,

SUB

PRÆSIDIO

MAG. JOHANNIS

BILMARK,

HIST. & PHIL. PRACT. PROF. REG. & ORDIN.

Publico Examini modeste submittit

CAROLUS JOH. FAGERSTRÖM,

OSTROBOTNIENSIS,

IN AUDITORIO MAJORI DIE XIX APRILIS ANNI MDCCLXIX,

H. A. M. C.

ABOÆ Typis JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.

VIRO Maxime Reverendo atque Celeberrimo,
D: NO PETRO KALM,
S. S. Theologiæ DOCTORI, Oeconomix PROFESSORI,
nec non Regiæ Academiae Scientiarum Holmenf.
MEMBRO,
MÆCENATI MAGNO.

Quem in natali meo Solo passim & ubique celebrari audi-
vi Favorem Tuum in Litterarum cultores plane exi-
mium, eundem quoque & ego, at quantilla Camenarum
portio, expertus sum quotidie maximum. Ea enim Summi
Numinis erga me singularis fuit gratia, ut in TE, MAXI-
ME REVERENDE D: NE DOCTOR & PROFESSOR, nactus sim & Pro-
motorem & talium consiliorum benignissimum Auctorem,
quæ sapientiæ & fidei plenissima sunt. Verum frustraneum
est, intra tantæ angustiae pagellam ea includere velle merita,
quæ vel ipsa quidem mente capere vix valeam atque comple-
li. Permittas tamen, ut dum Fennorum in Patriam justum
amorem adumbrare conor, simul etjam venerabundum gra-
tissimumque meum in TE adfectum tester, cujus documentum
sit hæc dissertatio, quæ a NOMINIS TUI celebritate præcipu-
um suum mutuatur jubar. Meorum vicissim votorum hæc
erit summa, dignetur Summus rerum omnium Arbiter TE,
MÆCENAS MAGNE, sospitem atque incolumem præstare, usque
dum Ecclesiæ, Patriæ, Rei Litterariæ, Familiæ Nobilissi-
mæ, quin & clientibus Tuis satis vixisti. Ita ex intimis
cordis penetralibus vocet

Maxime Reverendi NOMINIS TUI

Cultor humillimus

CAROLUS JOH. FAGERSTRÖM.



§. I.

Si abditos cordium nostrorum recessus scrutemur, & teneras quasvis fibras exploremus, post pietatem in DEum, nihil deprehenditur altius nobis infixum, quam illius loci amor, in quo lucem non modo primum adspicere cœpimus, sed & maximam ætatis partem hilares transegimus. Sicut autem amor oritur ex desiderio boni placiti; quod placet autem originem debet blando rei dilectæ influxui vel in sensus vel in animum nostrum, cujus pergrata sensatio ipsa consuetudine augetur & confirmatur, juxta illud Poëtæ: *Trahit sua quemque voluptas*; ita docet experientia, amorem natalis soli rationibus, vel ex ubertate ejusdem vel ex amœna facie desumptis, raro niti, sed ex consuetudine locorum, in quibus innocuam, a curis vacuam & hilarem vitam, parentum, propinquorum & amicorum studio cincti transegimus, esse potissimum derivandum. Offerat enim Calypso Ulyssæi exuli regnum potentissimum, inopi divitiarum cumulos, longis viarum erroribus exhausto regnum & immortalitatem, tot tamen tantisque commodis prudentissimus hic Princeps præfert pauperem & horrendis scopulis velut adfixam Ithacam, gratam avorum sedem. Similiter si parva ma-

gnis componere liceat, ex nostratibus Alandorum non pauci rigidas, quas incolere consueverunt rupes, & ubi non alios vident frutices, quam dumeta forte & juniperos, non alias colligunt herbas, quam lichenes & muscos, cum fertilissimis Finlandiæ campis, si optio daretur, nequaquam commutarent. Hinc quamvis OVIDIUS dulces ante omnia penates relinquere coactus, probe sciret, calamitates patienti animo esse ferendas, tanto tamen patriæ amore flagravit, ut eundem omni ratione valentiorum esse, professus sit. Hinc in sui excusationem ita canit:

*Non dubia est Itiaci prudentia, sed tamen optat
Fumum de patriis posse videre focis.
Nescio, qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.
Quid melius Roma? Scythico quid littore pejus?
Huc tamen ex illa barbarus urbe fugit.*

Quum igitur ingenui cujusvis præcordia amor natalis soli valde afficiat; facile intelligis B. Lector, cur ego palmam eruditionis plurimis concedens, amore autem in dulcissimam Patriam nemini secundus haberi cupiens, de justo Fennorum in Patriam Amore, ipse Fennus, disserere constituerim. Absit tamen a me ista temeritas, ut existimem, me argumentum hoc pro rei dignitate exponere posse; Tu vero C. L. qui eodem vel pari mecum affectu duceris, facile ignosces, si in bona adeo causa nec Tuæ expectationi, nec prolixæ meæ voluntati hac, qua nunc sum, ætate satisfecerim.

§. II.

Patriæ vocabulum duplicem imprimis significatum apud Auctores sustinere deprehendimus. Modo enim sumitur pro ipso natali loco, in quo vitalem auram primam

mum hausimus & pueritiæ crepundia, interdum etiam reliquæ ætatis seria transegimus. Huc spectat illud CLAUDIANI de sene, qui, juxta Veronam consistens, villa sua nunquam egressus fuerat;

Felix, qui propriis ævum transegit in arvis!

Ipsa domus puerum quem vidit, ipsa senem.

Qui baculo nitens, in qua restavit arena

Unius numerat secula longa cascade.

Modo autem Patria sumitur pro illa republica, cujus quis est civis, & in qua jus civitatis habet. Utra patria alteri præferenda sit, ambigua solet esse quaestio, præcipue in collisione officiorum utriusque debitorum. Quum enim maximum sit vitæ humanæ momentum in Theatrum hujus mundi prodire, & sollicita frui parentum & amicorum cura in pueritia, quæ ætas maxime est incuria; nec tamen minus est, adminicula conservationis & præsidia tranquillitatis, sine quibus miseram degeremus vitam, invenire, qualia nobis præstat Civitas. Interdum contingit, ut illa hanc comprehendat, & tunc amoris in Patriam incitamentum oritur fortissimum. Nos de justo Fennorum amore in Patriam nunc acturi, complexum amoris tam in locum natalem, quam in civitatem intellectum volumus.

§. III.

Tanti autem sunt momenti officia, quæ Patriæ nostræ debemus, & quæ incitamenta amoris in ipsam præbent, ut post officia, quæ DEO ob continuam nostram ab ipso dependentiam præstabimus, proximum sibi locum vindicent officia erga Patriam, seu istam rempublicam, cujus membra sumus. Quum enim hominum, sibi ipsis relictorum, maxima sit pravitas, adeo ut mala

quæcumque aliis, etiam præter horum meritum, inferre non dubitent, modo aliquem inde fructum vel utilitatis vel voluptatis percipere queant; quum vero societas civilis malitiæ humanæ validum injiciat frenum, mutuum adferat auxilium, & desideratam tranquillitatem teneatur ac confirmet; evidens est, quod non tantum major felicitas intra, quam extra civitatem reperiatur, sed etiam quod propria salus & felicitas absque illa obtineri omnino nequeat. Hinc ingenui quivis salutem Reipublicæ supremam legem esse existimant, ad cujus cynosuram suas componere debent actiones ita quidem, ut publicam salutem privatæ jugitur anteponamus, & incommoda quævis pro patriæ commodis subire, immo mortem ipsam, urgente tamen graviore necessitatis telo, quum vita civitatis aliter conservari nequit, pro illa oppetere non dubitemus. Insuper in alma Patria nobis plerumque obversantur liberi nostri, parentes, propinqui, amici & insignis multitudo hominum, quos singulos prolixo amoris adfectu dignissimos judicamus, quorum autem felicitas conservari non potest, turbata & periclitante patria; quamobrem amor in patriam est veluti centrum, in quo concentratur quicquid hominibus in mundi theatro amabile occurat. Quare Cicero, postquam gradus officiorum exposuisset, ita tandem concludit: *Sed quum omnia ratione animoque lustraveris, omnium societatum nulla est gratior, nulla carior, quam ea, quæ Respublica est unicuique nostrum. Cari sunt Parentes, cari liberi, propinqui, familiares, sed omnes omnium caritates patria una complexa est, pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus.*

§. IV.

Quum itaque Civis quisque impense diligere debeat suam patriam ejusque commoda, quantum possit & quoties-

quotiescunque occasio ferat, ceteris præferre, vitium turpissimum & maxime execrandum merito censetur, in Patriæ dedecus vel perniciem quidquam moliri. Qui enim perfrictæ adeo est frontis, ut mali quid in Patriam committere non exhorrescat, temere violat sacratissima quævis jura & ingratisimus est omnium, quos nunquam Sol vidit: propter suam perfidiam ubique & quidem merito male audit; abutitur enim familiaritate civium suorum atque eos, ut inimicos, persequitur, qui quævis humanitatis officia ab ipso expectare possent. Perduelles igitur sunt Republicæ carcinomata: Illi enim suis tantum ducuntur commodis, se ipsos, suos honores, suasque divitias ita respiciunt, quasi sibi soli essent nati, aliosque parvi faciunt, nisi quatenus sunt devota ambitionis ipsorum instrumenta. Contra ea omnes celebrant egregios illos viros, qui Patriæ suæ non tantum non defunt, sed qui naturæ debitum pro Patria potissimum reddunt. Imitantur igitur ASDRUBALEM, cui quum SCIPIO magna præmia promississet, *si Carthaginem dederet*; ille vero, quantumvis Pœnus fuerit, iis auditis, quæ offerebantur, femur identidem percutiens, Deorum ac fortunæ invocans fidem; *nunquam illum diem adfuturum*, dixit, *quo Asdrubalem stantem atque eversam Carthaginem una sol videat. Patriæ enim conflagentis ruinam prudentibus viris pulcherrimum rogi ornamentum esse*, uti refert POLYBIUS. Taceo alia æque venusta exempla, quorum feracissima est Historia. Tantus enim est amor Patriæ, ut amicitias ceteras huic æquaverit nemo, nedum pratulerit; quippe quæ ne ipsæ quidem possint esse salvæ, patria non salva.

§. V.

His nunc præmissis, ad institutum nostrum propius accedimus, de Fennorum in Patriam amore acturi, pau-

cisque offensuri, quam justus sit hic eorum adfectus. Primum igitur argumentum sumimus ex cœli nos ambientis indole. Scilicet natura sumus ita comparati, ut delectemur iis, quæ nobis apprime convenient. Enimvero ipsam recens natorum teneritatem circumfusus aër, victusque ratio ita adficiunt, & adsvetudine in sui veluti familiaritatem adeo fingunt, ut partim corporum atque ingeniorum dispositio ad soli natalis indolem plerumque formetur, partim corpora nostra sæpe adffigi sentiamus, quando ad alienum cœlum & alienum victum vocamur. Hoc ipsum inter alios inde a remotissimis temporibus cognoverunt antiquissimi Scythæ, quare in contentione cum Ægyptiis ita ratiocinantur: *Naturam, dicunt, quam primum incrementa caloris & frigoris regionibus distinxit, statim ad locorum patientiam animalia quoque generasse; sed & arborum atque frugum pro regionum conditione apte genera variata. Et quanto Scythis sit cœlum asperius, quam Ægyptiis, tanto & corpora & ingenia esse duriora.* Quod si jam indolem cœli aerisque Fennici consideremus, non adeo asperum est nostrum Clima, ut vigilantes somniant Exterorum multi, a quo tamen veterno expergefacti sunt recentiori ævo haud pauci. Non equidem negamus, quod frigus apud nos sit valde intensum, sed quod ipso suo rigore ita quasi rumpitur, ut parum omnino incolis noceat. Experimur enim in Arctoa plaga tempestatem hybernalem admodum siccam, nec noxiis vaporibus aut exhalationibus repletam; unde minus turbatur sanitas & robur corporum nostrorum, quam apud Meridionales gentes fieri adsolet, quæ minus frigidam sed magis humidam suam tempestatem sine valetudinis dispendio vix ferre possunt. Immo, experientia teste, plures inter has sunt, quam quidem apud nos, qui frigoris vehementiæ succumbunt.

Garriunt quoque alii, nebulosam esse nostram plagam, eandemque Cimmeriis tenebris premi. Enimvero si experientiam, Observationibus Meteorologicis nixam, consulamus, satis superqueprehendimus, Fennos plurimum dierum serenitate quovis anno frui, quam populos Australes. Esto autem, quod noctes hybernæ apud nos sint longiores, hoc tamen, si quod est, incommodum adfatum compensant diuturniora crepuscula, & imprimis longior temporis æstivalis, quod in emolumentum ac jucunditatem generis humani præcipue constitutum videtur, amoenitas; ut taceam noctes hybernales rutilo lunæ splendore, quem Crystallinæ augent nives, ita collustrari, ut munia sua satis commode obire queant incolæ.

§ VI.

Sicut illos portus magni facimus, quos eum in modum efformavit natura, ut eosdem unicus solummodo ventus perspiret, cujus etiam ingravescentem vehementiam objecti collium montiumque anfractus valde immittunt; ita quoque non fas modo, sed æquum etiam est, illas regiones perquam diligere, qui talem obtinuerunt situm, ut saviens forte Bellona incolarum tranquillitatem non ex quavis plaga turbare possit. Opportunum adeo situm almae Patriæ concessit provida Numinis cura, ceu docet Geographia; quare testibus Historiarum monumentis raro aliunde, quam ab Orientali plaga hostiles ipsa sensit irruptiones. Sed nec talia molimina facile olim suscipi potuerunt; quam ipsa natura violentiæ hostium objecerit partim impetuossissima flumina, partim latissimos & infidis scopulis refertissimos lacus. Profecto quum Tigris & Euphrates *magna regni munimenta* a CURTIO nuncupentur, & Nilus *immortalis murus* Isocrati dicatur, eosdem titulos merentur quoque Catac-
 racta

racta *Voxen* & insulæ paludis *Saimen*, quæ pari ratione
 impetum hostium antiquissimis temporibus sistere potue-
 runt. Præterea Nob. OERNHIELM *in vita* PONTI DE LA
 GARDIE p. 30. loquitur de regno Svecorum, quod tanquam
 murum habitandi fors objecerit incursionibus Moschorum.
 Quo ipso indigitasse videtur regnum Holmgardicum, ubi
 Reges Upsalienses suos olim habuerunt Marchiones, qui
 omnem curam in id intenderent, ne ingravescens bel-
 lorum turbo tam Svecorum, quam Fennorum haleyonia
 temere turbaret; ex quibus dispalescit, vetustissimos Fen-
 niæ incolas satis tranquillam vitam ob commodum Pa-
 triæ situm degisse. Non equidem ignoramus, quod
 dentur, qui existimant, Finlandiam ita dictam fuisse,
 quasi *hostilem terram*, quod continuis bellorum vel illa-
 torum vel exantlatorum motibus cives fuerint occupati.
 Enimvero quum hi motus demum post irruptiones
 Tattarorum in Holmgardiam & post expeditiones cru-
 ciatas a Regibus nostris in orientem susceptas præcipue
 ingravescere cœperint, Finlandiæ autem appellatio pro-
 lixam magis canitiem sentiat, uti ex monumentis con-
 stat; evidens est, quod hæc Etymologia calculos a nobis
 positos non turbet, quum illis tantum probari ipsa pos-
 sit, qui obvia quævis etiam præstantissima judicent.

§. VII.

Ulterius sicut singuli homines familiam suam tanto
 impensius plerumque diligunt, quanto remotiori & inte-
 griori a stirpe suos repetere possunt natales; ita quoque
 universi cives patriam suam, quo antiquiorem, eo etiam
 cariorem habere solent. Quod ad nostram Finlandiam
 attinet, multis forte videbitur, eandem sequiori demum
 ævo suos nactam fuisse incolas, nec in contentionem
 cum cultis Europæ regionibus aliis venire. Enimvero
 qui

qui in cortice apparentiarum non hærent, sed in medullis veritatis sollicite penetrant, aliter omnino suos subducunt calculos. Quo facto, antiquos adeo in Borealis hisce regionibus inveniunt incolas, ut gloriam antiquitatis plurimis Europæ populis reddant dubiam. Concedimus equidem, humani generis reliquias post orbis nostri cataclysmum in Asia concessisse, nec tamen dubitamus, quin sequenti tempore harum numerosissimi posteri partim internis motibus, partim externis irruptionibus solum vertere coacti, suadente prudentia & jubente necessitate, ibi potissimum penates suos constituerint, ubi & desideratam tranquillitatem & idonea vitæ sustentandæ adminicula facili invenire potuerint negotio. Quos autem cunque origine sua fuisse Majores nostros statuamus, sive Israelitas, sive Scythas, sive ex utrisque populis mixtam coloniam, in confesso tamen est, quod rem pecuariam imprimis magni fecerint, & quod venationibus succulentum sibi qualiverint victum; parum curantes molliorum arborum fruticumque delicias, quæ mensam exornant secundam, quippe robustis illorum corporibus minus convenientes. Et quum Boreales nostræ Regionis abunde præberent, hinc gratissima pascua in sustentationem pecorum & armentorum, inde variam venationem; si non certum, probabile tamen est, Finlandiam inter ceteras Europæ terras tempestive admodum fuisse inhabitatam. Quamobrem etiam CONRINGIUS, LEIBNITIUS in Actis Berolinensibus, alique exteri Scriptorum fatentur, primos omnium & vetustissimos Scandinaviæ incolas fuisse Fennos & Lappones, quos Sveci & reliqui ejus peninsulæ populi, ex Germania scilicet venientes, in extremum illum Septentrionis angulum, quem adhuc tenemus, compulerunt. Neque in eo illis refragamur, quod Fennici populi per

Scandinaviam sese dilataverint, quandoquidem supremas ejus partes & ingentem tractum, *Finnarckiam* dictum, inter Daliani Wermlandiamque atque Norrwegiam non modo Fenni adhuc incolant, sed etiam Fennici nominis documenta pluribus in Svehia locis existent: ex. gr. Territorium *Finnsponga* in Ostrogothia, Territorium *Finnwed* in Smålandia, parochia & lacus *Finnia* in Scania, quin & insula *Fionia* in Daniæ Regno. Vid. HARALDI BRISMAN Dissert. *de justo Svecorum in Patriam amore*, p. 16. & 17. Denique quod ad securitatem attinet, tantam in his oris invenerunt adyentantium populorum agmina, quanta vix majorem alibi obtinere potuerunt, id quod vel situs horum locorum adfatim comprobatur.

§. VIII.

Satis equidem pravidemus, quod ad convellendam gentis nostræ antiquitatem, a nobis hæctenus vindicatam, varia formari queant dubia, quæ nec omnia nunc examinabimus, ne in volumen excrescat Specimen hocce Academicum, nec tamen, quæ præcipui sunt momenti intacta relinquemus; ne bona causa cecidisse videamur. Primo igitur multi mirabuntur, cur emigrantes ex Asia populorum manipuli ad inculta potius Finlandiæ tesqua sese contulerint, quam ad Occidentales Europæ regiones, utpote & fertiliores & mitiori sub celo positas, cursum suum direxerint. Ad quod mox respondemus: Si naturalem universæ Europæ conditionem animo nobis fistamus, qualis eadem ante fuerit, quam ipsi venustatem adderet cultura humana, facile inveniemus, quod vix horridior tunc fuerit Finlandiæ facies, quam reliquarum Regionum. Nam ut Poëta canit:

*Facies non omnibus una
Nec diversa tamen, qualem decet esse fororum.*

Quare

Quare si naturalem terræ pulchritudinem constituent
 umbrosi lucus, virides montes, vasta planities, floribus
 & graminibus luxuriantes, hinc piscosis fluminibus, in-
 de opportunis lacubus interdistinctæ; fatendum omnino
 erit, Finlandiam nostram in his muneribus obtinendis na-
 turam minime novercam expertam fuisse. Quod ultro
 etiam concedunt exteri, quibus contigit nostras pera-
 grare regiones. Non equidem negamus, quin antiquis-
 simis temporibus & præcipue circa adventum primorum
 hospitem minus grata fuerit Finlandiæ species, quam
 qua hodie nitet; sed quo pignore constabit, quod cete-
 ræ Europæ regiones amœniora habitacula novis colonis
 tunc præbuerint. Ipsam profecto Germaniam TACITI ad-
 huc avo non venustiore fuisse, sequentia ejus verba
 testantur: *Quis Asia aut Africa aut Italia relicta Ger-
 maniam peteret, infernam terris, asperam celo, tristem cultu
 aspectuque, nisi si patria sit?* De German. Cap. 2. Præ-
 terea sicut in constituenda familia primum anquirimus se-
 curitatem & vitæ sustentandæ adminicula, tum com-
 moditatem & innoxias delicias; ita credere par est,
 quod Nomadum cohortes primum tranquillitatem & pa-
 rabilis victus copiam quæsierint, industriæ & cultus
 delinimenta partim ignorantes, partim vix curantes.
 Quumque in Borealibus hisce terris votorum compotes
 fieri possent, quippe quæ & vitæ necessaria suppedita-
 bant, & ab hostium incursionibus tutos præstabant;
 probabile admodum est, quod in his oris penates suos
 tempestive constituerint. Erit autem quispiam, qui sci-
 scitari aveat: Quis demum Genius Majoribus nostris in
 aures insufurraverit, quod in hocce in mundi angulo
 desiderata commoda & præsidia invenirent? Quo filo
 Ariadneo per tot invia atque inculta loca usi fuerint? Ve-
 rum non anxia heic opus fuisse consultatione, quisque

fatebitur, qui modo in memoriam sibi revocaverit, necessitatem in ejusmodi casibus optimam esse Magistram. Et sicut in Phycis, urgente undique vi, corpus movetur versus illam plagam, in qua minimam experitur resistantiam; ita idem valet in migrationibus gentium. Jam vero Nomadibus, in Europam profecturis, a parte hujus Occidentali gravissima impedimenta objiciebant bellicosissimi Graciae populi, qui tantam praedam sibi elabi nequaquam passi fuissent; adeoque Septemtrionem versus sese conferre cogebantur. Aderant insuper migraturis flumina & lacus, tutissimi *condrai*, quorum secundum cursum dum sequebantur, facili negotio ad Boreales has Regiones pervenire potuerunt. Sive enim secuti fuerint oram occidentalem Caspii maris, Wolga his Argonautis occurrebat: sive paullo longius procedendo littus Orientale Ponti Euxini & Paludis Marotidis legerint, in Tanaim inciderunt: sive etiam hanc paludem circumverint, vel Bosporum Cimerium trajecerint, Borysthenem offenderunt. Qui fluvii omnes iis locis suos habent fontes, ubi alii fluvii exsurgunt, qui se vel in mare Album exonerant, vel etiam se cum aliis fluminibus conjungunt, quae in lacum Ladogam & inde Sinum Fennicum influunt. Haec itineris ratio egregie confirmatur testimonio TACITI, qui Germ. Cap. 2. adfirmat: *Quod nec terra olim sed clasibus adveherentur, qui mutare sedes querebant.* Quibus accedit, quod & sinuosa littora pecoribus Nomadum abundantia praebuerint pascua, & ipsi piscatione & venatu gratisima obsonia sibi comparaverint. Enimvero quare adhuc quispiam: Cur haec coloniae in terris Ponto Euxino propioribus non subsisterint? Cur fertilissimas multas Moschovia provincias tantum peragraverint, & quare ad ipsum Septemtrionis cardinem penetraverint? Ad hos nodos resolvendos non

opus est, hariolemur, ipsos desiderio flagrasse stellam Polarem propius contemplandi; sed strictim observamus, quod hos viarum antractus & difficultates eluctati sint Majores nostri, ut justam securitatem, quam vita ipsorum ratio postulabat, consequerentur. Procul a Jove, procul a fulmine; procul a Persis Græcisque, procul etiam ab ipsorum irruptionibus. Denique si quis objiceret, frigus nostrum retardasse adventum primorum incolarum, hanc objectionem in antecedentibus diluimus, adeoque non opus est, ut frigidum hoc dubium nunc liquefaciamus.

§ IX.

Ad sunt aliæ adhuc rationes, quæ justum Fennorum in Patriam amorem inflammant, eximiam loquor terræ nostræ fertilitatem, & copiam omnium fere rerum, ad victum & amictum necessariarum. Esto enim, quod non multæ admodum apud nos reperiantur deliciae, quæ depravato sive VITELLI, sive HELIOGABALI, sive horum similibus, qui vixerunt ut ederent, non ederunt ut viverent, palato satis convenirent; plurima tamen heic reperiuntur, quæ exquisito quantumvis gustui conveniant. Lustremus enim paulisper vel bina illa naturæ regna, quæ promi condi sunt, ex quibus mortales, quæ ad victum, innocuas voluptates & amictum pertinent, colligere solent, & constabit, divitias, opinione multorum majores, in nostris reperiri oris. Si volatilia desideremus, aërem nostrum permeant avium agmina, quæ sapidissimas nobis præbent carnes. Quasdam harum cum aliis Europæ regionibus habemus communes, quædam autem populis Borealibus propriæ sunt, nec tamen quidquam illis cedunt, quas exteri tantopere jactitant, ut facile crederes, ipsis esse propositum, salivam adventan-

tibus hospitibus movere. Major quidem fuit olim harum avium copia, quam nostro aëvo deprehenditur, id quod partim crebris silvarum exustionibus, partim venatorum indagini erit tribuendum; non tamen aucupia nostra sunt frustanea. In silvis quoque Fennicæ oberrant greges Cervorum, Rangiferorum, Alcium, aliorumque animalium, quorum carnibus vix molliores epulas propinare valent exteri. Lacus, paludes & flumina Finlandiæ abundant piscibus varii generis & exquisitæ bonitatis, quorum nonnulli statis anni temporibus ad nostra catervatim adpellunt littora, & sese incolis in prædam velut sponte offerunt. Hinc piscatura adeo lucrosa apud nos exercetur, ut insignem piscium salitorum copiam per Svethiam quotannis dividant nostrates. In ditissimo hocce naturæ penu exultant quoque varii generis animalia, quorum multa mensas nostras exhilarare possunt. Præterea Flora non minus in nostris, quam in exterorum campis suas jactat dotes. Si enim alimenta necessaria primum consideremus, glebæ Fennicæ ubertas tanta est, ut frumenta diversi generis apud nos adeo copiose proveniant, ut haud exiguam mensis partem in Svethiam transferre & dividere soleant incolæ. Immo mirari convenit, quod quamvis frumentorum genera solo nostro ita propria non sunt, ut inter sponte nascentia referri queant; attamen quo propius cardini Boreali ipsa colantur, eo etiam grandiora & melioris indolis evadant, adeo ut meridionales gentes nostras sibi non raro comparent fruges, quibus sementem faciant. Luxuriant quoque campi nostri baccis varii generis, eisdemque dulcissimi saporis, adeo ut si sponte nascentes consideremus, nos harum nec minorem copiam aut varietatem possidemus, quam exteri. Immo quasdam earum, quæ nobis propriæ sunt, tanti faciunt

faciant exteri, ut nihil svavius aut gratius cogitare queant. Verum quidem est, quod Pomona interdum satis arcte apud nos habitet, & nostrum exhorrescat frigus, attamen nec nostros designatur hortos, sed largo fructuum proventu industrios sui cultores dicit, quod superiori imprimis anno factum novimus. Forte non multo latior fuerit ejusdem conditio in Meridionalibus locis, dum post bellum Michridaticum suas colonias in Europam primam transmisit. Uvas quidem ex vinetis non colligimus, nec enim omnis fert omnia tellus; sed quem defectum æquo ferre possumus animo, dum ipsum compensant cum alia, tum vina ex nostris bacis præparata. Denique si adserta hætenus allata potius magnifica, quam vera quis existimet, ipsi opponimus experientiam omnium eorum, qui Finlandiam nostram peragraverunt, qui encomiis hisce album addunt calculum. Igitur

Non opus est verbis, credite rebus.

Fennia igitur merito de se prædicat; *Niger ego alis, candidus vero proprie videor uxori*, quam parcemiam adfert b. m. Reverendis. Episcop. JUSLENIUS in *Dissert. Vindicias Fennorum* continente.

§. X.

Nondum forte cessant dubitationum æstus, sed nobis quispiam objiciet TACITI testimonium: *Fennis mira feritas, sed paupertas, non arma, non equi, non penates: victui herba, vestitui pelles, cubile humus, sola in sagittis spes, quas inopia ferri ossibus asperant.* German. Cap. XLVI. Respondemus autem: Mutantur tempora & homines in illis. Concedimus omnino, quod primo migrationis ævo, dum vagabundam, more Scytharum ac Laponum, debebant vitam Majores nostri, Finlandiæ facies & incolarum conditio non multo melior fuerit, quam

illam ex aliorum relatione describit TACITUS; at quam dispar postmodum utriusque indoles facta sit, fugere potest neminem. Uterius dicet quispiam, si tanta sit naturæ munerum in Finlandia copia, quantam modo audivimus, cur exigua adeo in nostris oris quondam fuerant commercia? Hoc partim placidæ Majorum nostrorum indoli, partim exterorum ignorantia erit tribuendum. Commercium enim non luxuriæ, quin potius necessitati primam suam debent originem. Quamdiu enim natale solum nobis abunde subministrat quicquid desiderio nostro inserviat, vitam fortunasque nostras fragili navigio non committimus, ut ab exteris ea comparemus, quæ voluptatum aut commoditatum sunt instrumenta, sed lucrum præbent exitium. Quamobrem b. m. Rev. Episc. JUSLENIUS in *Diff. cit.* ex defectu commerciorum in his terris merito concludit ad naturalem Fennia ubertatem. Adde insuper generalem observationem: scilicet sicut DEUS gentes Boreales, non ad mollem quandam aut languidam sed ad robustam, masculam & alacrem vitam formavit (vid. MONTESQUIEU *L'Esprit des Loix Tom. II*); ita etiam talem nobis victum talesque concessit delicias, quæ nostrorum corporum constitutioni optime conveniant, quæque, dum sobrie eisdem utimur, vigorem nostrum diu conservant. En argumentum Divinæ in nos bonitatis, quod cernue venerari debet quisque ingenuus.

§. XI.

Postquam ita ostendimus, quam justus sit Fennorum in Patriam amor, ulterius dispiciendum an hic in natale solum adfectus talis de facto sit, seu an Nostrates Patriam tanto prosequantur amore, quanto ipsam propter allatas rationes complecti deberent. Certe nec in hoc negotio a se ipsis dissentiunt Fenni, ab antiquissimis inde temporibus propter constantiam & sinceritatem laudatissimi

fini. Ipsam testor experientiam, optimam, quin & unicam
 hujus controversiæ Magistram. Sicut enim, qui rem
 quandam justo prosequitur amore, eam defendit & ab
 ipsa se divelli non facile patitur; ita Fenni nostri dulces
 ante omnia majorum penates non solum ingruentibus
 hostibus mascule defenderunt, dulce etiam pro Patria
 mori existimantes, cujus rei luculentissima exempla præ-
 bet historia, verum avitas sedes vel plane non, vel ægre
 admodum reliquerunt. Constat enim, ex gremio natalis
 soli paucas admodum exiisse colonias, & in aliis confedisse
 terris. Qui enim solum vertunt, meliores plerumque sibi
 quarunt sedes, & rerum necessariorum copia fertiliores;
 sed Fenni, si vel optio ipsis fuisset concessa, vix alibi vel
 graviora, vel genio suo convenientiora invenire potuissent
 habitacula. Adhuc quoque incertum est, utrum manipuli
 illi Fennorum; qui hinc exierint, in initio admodum nu-
 merosi fuerint, tum etiam, annon plerique necessitate, vel
 ab hostium ferocia vel ab annonæ caritate imminente, po-
 tius impulsæ, quam ultronæo studio permoti fuerint, ad al-
 ias terras sese conferre. Qui in orientalibus Europæ locis
 subsisterunt Fenni, demigrationis societatem cum Gothis
 iniisse videntur; & quidem sæculo V. potissimum, quo to-
 tus ferme Europæus orbis migrationibus gentium ferve-
 bat; & quum reditum in Fenniam propter crebras hosti-
 um incursiones agerrime invenirent, penates suos ibi
 constituerunt, ubi bene ipsis esset. Qui rursus in Svehiæ
 provinciis confederunt Fenni, ipsos huc transvectos volu-
 erunt REGES nostri propter rationes Politicas: Ipsi autem,
 ut imaginem quandam antiquæ Patriæ, etiam extra Patri-
 am, habeant, Fennica adhuc lingua in familiari conversa-
 tione utuntur. Immo licet recentiori ævo compertum sit,
 quosdam nostratium cum navibus, ad exterarum terras pro-
 ficiscentibus, elabi, nec rursus reverti, hi tamen & nume-

ro pauci sunt, & ejus indolis, ut, quum arare nesciant, navigare didicerint; ceteri autem, quos fors forte alio abduxit, non minori quam Helvetii astant odore, donec ad pristinos revertantur lares.

§. XII.

Incidimus haud ita pridem in Librum, cujus Auctor omnes ingenii nervos intenderit, ut ostendat, Patriæ omen, superstite solo nomine, dudum obsolevisse, & justum in natale solum amorem in hominum tantum non omnium pectoribus obtorpuisse. Hic vero, si rem suam serio agat, aut se praestantiorē ceteris mortalibus censet, quo in casu propter vecordem arrogantiam merito erit exhibendus, aut Patriam suam adeo parum curat, ac ceteros suam diligere inculcat; quare indignus omnino est, qui civitatem quandam consequatur. Nos certe humani magis sumus, quam ut inhumanam adeo feramus Philosophiani, nec eorum probamus institutum, qui convitiis potius, quam argumentis utuntur, ipsosque valde exagitant, quos placide emendare deberent. Firmiter itaque credimus, tam alibi, quam in Fennia nostra plurimos inveniri pietate in Patriam inclytos viros, quem vero adfectum si semper non manifestent, hoc non tam ipsis, quam desideratæ occasione erit tribuendum. Sicut enim ignis tenebricoso cœlo latissime & vividissime suos spargit radios; ita amor in Patriam, ingruentibus adversitatum nebulis, sese luculentissime conspicendum præbet. Tu vero, O! Optime DEUS; Patriam nostram dulcissimam tuere ac defende; Fac etiam, ut justus noster in natale solum amor in nepotibus perennet, & quo serius, eo vividius micet.

S. D. G.

